

- stulare videris, si modo percipio verba tua, ut scilicet in tanta scriptorum inopia, ego tanquam abortivus arripiam calamum, bellum cum Patavino preside actum utcumque scripturus, postremo ut saltem suffragium tibi prestem contra obloquentium nugas indigne ferrentium, quod in eventu rei Superis placuisse videtur. At quoniam neutrum cordi est, utriusque veniam dabis. Cuius rei si causam queris, excuso imperitiam meam, excuso ignaviam, quippe ad ignotas artes inhabilis non facile trahor. Non enim ad hanc rem ingenium, non stilum habeo, sive metricum cupis, cuius etsi studiosus fuerim lector, ignarus sum penitus, sive solutum mavis, cuius laus ingens apud scriptores priscos utique est. De hac etenim re, utcumque alii iudicent, ego eam difficilem et maximam omnium existimo, neque omnium esse reor orbis gesta stilo aggredi, non magis quam bellum gerere, nisi forte temeritas placeat, que dum se cupit extollere, in precipitium sepe ruit. Si quid enim credimus
- 70 Flacco et vatibus et scriptoribus, hoc precipue convenit, ut summa canant, cuncta ad unguem expolita constituent, ita ut nichil ab ordine deviet, primo ne medium, medio ne discrepet imum. Nil mediocre, nil humile patitur ea ars, et quod in rebus ceteris tollerabile, in hac prorsus abiectum et viciosum est medium sequi. Ait Flaccus idem: Mediocribus esse poetis non homines, non dii, non concessere colonne. Hoc dudum considerans ille summus historicus, cuius eloquentie apud Ieronimum tantum preconium est, hesitasse se asserit gesta Romanorum an scriberet, dum dubitat aliquid ne certius allaturus esset in rebus, an stilo superaturus rudem vetustatem, manifeste innuens, duo hec premeditanda scriptoribus, si quicquam pensi scriptis suis cupiunt, et certitudinem in rebus asserere, et stilum, si non preferre, at saltem equare maioribus. Quod si ille dubitavit in tanta venustate scribendi, in tam uberrima et opulenta materia, quid facient hi, quibus puxillum aut forte inge-

Horat.
A. P. 152.

Ars poet. 373.

Epist. 53.

Liv. I praef.

⁵⁷ *Ma*¹ scripturis ^{59.60} quoniam] *M. L.* quum ⁶¹ quippe qui *Ma*⁴
⁶³ etsi] *Ma*⁴ quamquam ⁶⁴ *Ma*⁴ solutu mavis] *Vi M.* magis ⁶⁵ *Ma*⁴ pris-
cos scriptores utique] *Ma*⁴ atque etenim] *om. Ma*⁴ ⁶⁶ eam] *om. Ma*⁴
⁷¹ ad] *om. Ma*⁴ da « et scriptoribus ». *Ma*⁴ nil ⁷³ *Ma*⁴ ars ipsa patitur
^{73.4} tollerabile] *Ma*⁴ probabile fit ⁷⁴ *Vi. M. L.* esse ait] *Ma*⁴ Quod... su-
biungit ⁷⁶ considerans] *Ma*⁴ advertens ⁸⁰ manifeste] *Ma*⁴ patenter ⁸¹ *Ma*⁴
cupiunt scripturis suis ^{81.2} *Ma*⁴ asserere ⁸³ venustate scribendi] *Ma*⁴ scri-
bendi peritia uberrima et] *om. Ma*⁴ ^{81.5} *Ma*⁴ nullum ingenium.